aut uoluntatem puram ad deum erigere possis. Vide quomodo quia et hic scelus perdis et futurum non acquiris. Melius est tibi salutem esse et ista tormenta deuitare quam inuitus perire et nichil sentire boni. Videt deus quia inuitus pateris ista, et si uolens coactus assentis, fortassis respiciet uiolentiam passionis tue et misertus excessui tuo dabit ueniam. Precipue cum dicat apostolus quia melius est nubere quam uri, et unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem. Bene enim nouit apostolus infirmitatem humanam, et ideo non dixit illi habeant quia illis licet et illi non habeant quia illis non licet, sed unusquisque habeat, id est qui continere non potest. Melius est ut nubat quam uratur. Melius est ut licite excipiat infirmitatem quam uicio semper uratur ad passionem. Nam ipse dominus dicit qui potest capere capiat. Ipse scit quia capere non possum uerbum hoc ut continens permanerem. Quando putaui posse libenter proposui et eadem adhuc uoluntate libenter perseuerarem si pati possem. Sed non ualeo tolerare estus bullientis nature et ardorem concupiscentie feruentis sustinere non possum. Ideo facio quod possum. Vado et duco uxorem, excipio infirmitatem meam dolens quidem quia a superiori bono descendere cogor, sed tamen non omnino desperans quia ad concessa descendere. Magis uolo in inferiori bono saluari quam in summo periclitare, et si forte culpa est aliquid quia descendo quia propositum meum non teneo, ego penitentiam agam et satisfactione placabo deum. Nichil durum erit aut difficile tantum hanc passionem euadere posse et mortem istam in qua uiuens tenear declinare. Quare putatis non huiusmodi rationibus se illi ingeret et cohortetur cum affligi ceperit et uri stimulis carnis sue si sciat quia licet et quia sibi prodest et salus est illud quod hic faciunt et non cogitare ecce tam illos qui sic retro aspiciunt. Sed ita uiuere concedunt et legittima censent esse coniugia illorum. Quare non malunt cum iam pro eo grauiter fuerint multis annis penitentie et quamlibet satisfactionem exsoluere tamen ut frui possint